



Disputatio juridica inauguralis de adulterio

<https://hdl.handle.net/1874/342130>

28.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
ADULTERIO,
QVAM,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Autoritate Magnifici Rectoris,

D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Prive-
legiis ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit,
JOHAN SWANK E, Slusâ-flandrus.
A. D. 20. Aug., hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiacæ
Typographi, clo Ioc LXXXVIII.

PATRIÆ
PARENTI
AC
PRÆCEPTORIBUS.
SACRUM.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
ADULTERIO.

THEISIS I.

ADULTERIUM dictum est, non ut vult Farinac. qu. 141. quod adulter u-
terum alterius terat. nec ut Alciat.
7. parerg 5. quod sit ad alterius tho-
rum : sed quod sit ad alterum ire
nam & Festus ita : adulter & adul-
tera dicuntur, quia ille ad alte-
ram, hæc ad alterum sese confe-
runt. & Papinianus in l. 6. §. 1. ff. b. t. adulterium in
nupta committitur, propter partum, ex altero con-
ceptum composito nomine. Hoc quod ad vocis ety-
mon.

A 2

II. De-

4 DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Definitur adulterium , alienæ matrisfam. violatio
l. 225. ff. de UB sign. materfam. opponitur virgini; &
viduæ, unde constat maritum cum innupta coëuntem
jure civili adulterium non committere secus juredivino
1. Cor. 7; vñ. 3, § 4. & Canonico. C. dixit C. nemo si
blandiatur. 32. qñ. 4.

I I I.

Committitur adulterium (ut patet ex definitione) cum
 uxore , sive ingenua , sive libertina , etiam liberto nupta :
l. 6. in princ. l. 38. §. pen. ff. b. t. nec non cum domina
 cauponæ . *l. 29. C. b. t.* imo cum iis omnibus quæ
 juris nexibus detinentur & matrisfam. nomen obtinent:
 ut ait Imp. Constant. in *d. l. 29. C. b. t.*

I V.

Non ergo committitur cum concubina , *l. 13. ff. b. t.*
 nec cum ancilla , *C. 29. Cod. b. t.* cum illa non uxor sed
 contubernalis sit *l. 23. Cod. b. t. junct. l. 3. C. de incest.*
nupt. ob hanc tamen corruptam vel agitur legis aquilæ
 judicio , si viro immatura corrupta sit , vel injuriarum,
 si matura . *l. 6. in pr. ff. b. t. l. 25. ff. de injuriis.* immu-
 nes etiam à legum severitate sunt , quas vitæ vilitas
 legum observatione dignas non credidit : quales sunt cau-
 ponumancillæ ; *l. 29. Cod. b. t.* fœminæ ignominiosæ
 quæ stola matronali , id est , pudore abjecto , artem
 ludicram , lenociniumve faciunt , operas suas in scenam
 saltandi vel cantandi causa locant ; *l. 44. ff. de ritu nupt.*
l. 2. §. ult. ff. de his qu. not. infam. (nisi in fraudem
 legis hoc faciant *l. 10. §. 2. ff. b. t.*) item quæ desertis ma-
 rititis (alias non *l. 13. §. 2. ff. b. t.*) corpore quæstum fa-
 ciunt *l. 22. Cod. b. t.*

V. Hujus:

I N A U G U R A L I S. 5

V.

Hujus criminis, utpote publici, delatio, olim omnibus, sed certo ordine, patebat: puta hoc: præferebatur maritus, post adulteræ pater, deinde propinquus, l. 30. C. b. t. Deinde extranei admittebantur l. 2. §. pen. & ult. l. 3. ff. eod. post modum Impp., ne temere falsis calumniis matrimonia turbentur, hujus criminis accusationem, ad quinque personas proximas restrinxere; puta maritum, patrem, fratrem, patruum, & avunculum d. l. 30. Cod. b. t.

V I.

Maritus etiam minor annis 25; l. 15. §. 6. ff. b. t. nisi sit infamis, aut cum uxore colludat, præfertur (licet matrimonio soluto talis esse desierit l. 14. Cod. b. t.) patri; etiamsi is prævenerit, & inscriptionum libellos proposuerit; pater reliquis; inter hos qui magis est idoneus d. l. 30. C. b. t. l. 2. §. pen. & ult. & l. 3. ff. b. t. qualis non est minor d. l. 15. §. 6. ff. b. t. neque mulier, quamvis de suo matrimonio violato queri velit l. 1. C. b. t. cum in aliis criminibus & mulieres audiantur, si suam suorumve injuriam per sequantur l. 1. & 2. ff. de accusat. l. 12. C. q. accusar. non posse.

V II.

Patris appellatione continetur & avus fratri non solum germanus, vel consanguineus, sed & uterinus exque appellationes tam ad maritum, quam adulteram referantur Anthon: Matth. tract. de crim. b. t. Cap. 4 num 13.

V III.

Maritus & pater accusant vel jure mariti seu patris, vel extranei: quod jus vocatur publicum l. 40. ff. b. t. jus

6 2 DISPUTATIO JURIDICA I

mariti in eo consistit , ut si intra 60 dies accusare velit ,
aliis præferatur ; se subscribere non cogatur ; accusatio-
nem pro suo arbitrio abolere possit ; & quamvis exnudis
suspicionibus egerit de calumnia non teneatur l. 6. l. 30.
vers. in primis C. b. t. jure novissimo maritus crimen
non probans punitur *nov. 117. Cap. 9. §. 4.* Jus patris in
eo tantum versatur , ut intra 60 dies præferatur aliis : ca-
lumniæ vero periculum non effugit ; cum & inscribere in
periculum teneatur l. 4. §. 1. l. 30. *ff. b. t.*

I X.

Accusantur mulieres supra enarratæ , si sint præ-
sentes ; aut post inchoatum crimen , id est , litem con-
testatem abesse cæperint l. 13. l. 15. *Cod. b. t.* & , si
evocatæ legitimis edictis , se non sistant , contra eos
procedi potest ; vel , ut ad loca in quibus de lique-
runt remittantur , postulari *Auth. si vero C. b. t.* quæ
ante inchoatum judicium abesse (sine criminis detre-
ctatione puta ; l. 15. §. 1. *ff. b. t.* cæperunt , nec de
hoc crimine accusari , nec edictis revocari possunt , nec
ut in provincias , in quibus sunt mariti , transmittan-
tur , peti potest , d. l. 15. *in princ. C. b. t.* Sed perinde
ut in aliis criminibus capitalibus , requirendæ adnotan-
tur l. 6. *Cod. de accusat.* accusatæ si compareant , ac-
cusatorum præsentiam petere , sed in initio litis possunt ;
l. 19. *C. b. t.* nam si jam prolatis adulterii probationibus ,
viris decadentibus suas opponant allegationes , non au-
dientur . d. l. 19. *C. b. t.*

X.

Huic accusationi adulterii multæ possunt objici præ-
scriptiones : eaque vel peremptoriæ ; vel dilatoriæ .
Peremptoriæ temporis sunt ; puta vel quinquennii ,
vel

I N A U G U R A L I S. 7

vel sex, vel duorum, vel quatuor mensium utilium.

X I.

Quinquennii præscriptio, computanda a die commissi criminis, & reo, & rex, accusatis competit. *l. 28. C. b. t. l. 29. §. 5. ff. b. t.* Præscriptio sex mensium non competit nisi mulieri; &, si facto divorcio inviduitate mansit, computatur a die commissi criminis; sin ad nuptias secundas transiit, a die divorci *d. l. 29. §. 5. ff. b. t.* ratio diversitatibus est quod vidua facilius accusatur quam nupta, proinde brevioris temporis præscriptione utitur. Duorum mensium præscriptio objicitur volenti jure mariti vel patris accusare: nam hoc tempore elapsio etiam maritus vel pater jure extranei accusare possunt *l. 6. C. b. t. l. 14. §. pen. ff. eod.* quatuor mensium præscriptio datur contraria accusatores extraneos: incipit currere elapsis duobus mensibus, quibus jure mariti, vel patris accusare licet. *l. 4. §. 1. ff. b. t.*

X I I.

Præscriptiones dilatoriæ sunt: 1. Lenocinij: 2. Uxoris in matrimonio retentæ: 3. Accusatoris absentia: 4. Ordinis. 5. Accusationis desertæ.

X I I I.

Lenocinii præscriptio objicitur marito uxorem accusare volenti, si consensu ejus fuit adulterata. *l. 28. C. b. t. l. 47. ff. solut. matrim.* Uxor in matrimonio retentæ præscriptio, quam jure Codicis opponebat liber adulterii accusatus, non servus; *l. 26. C. b. t.* marito, licet in adulterio uxorem non deprehendit, *l. 11. C. b. t.* jure novissimo est abrogata. Non enim, ut olim *d. l. 11.* ita & hodie tenetur maritus uxorem judicio nondum convictam dimittere. *Nov. 117. Cap. 8.* Accusatoris absentia:

8 DISPUTATIO JURIDICA

absentiæ præscriptio competit accusatæ quidem , sed ut jam dictum , tempestive est opponenda ; alioquin sub tempus ferendæ sententia crimine jam probato non admittitur l. 19. C. b. t. lex enim in initio litis accusatorem vult esse præsentem , postea vero instructo iudicio , illius absentia sententia pronuntiationem neque impedit , neque vitiat. Præscriptio ordinis hic locum habet , cum unus adulteram & adulterum putat qui vere adulterium commisit , simul accusare velit : hoc enim non licet , l. 15. §. ult. ff. l. 8. C. b. t. quamvis diversis accusatoribus ambos eodem tempore , nisi aliud obstet , accusare permittitur. l. 17. §. ult. ff. eod. Desertæ accusationis præscriptio objicitur accusatori iterum accusare volenti illud crimen de quo pactus est , vel transfigit. pac. ad l. 18. Cod. de transact. De adulterio enim pacisci & transfigere non licet l. 10. Cod. b. t. d. l. 18. Cod. de transact. illud faciens non solum senatusconsulto Turpiliano tanquam prævaricator , vel accusationis desertor punitur l. 23. §. 1. Cod. b. t. sed etiam iterum accusare prohibetur.

XIV.

Proponendæ & examinandæ sunt omnes hæ præscriptions (excepta absentia accusatoris : & si quæ alia ei similis) antequam accusati inter reos recipientur: nam semel inter reos recepti , exceptionem objicere non possunt. l. 15. §. 7. ff. b. t.

XV.

Qui hoc crimen objecit illud probare debet ; si deficit , pænam talionis subit : id est eandem quam reus pænam , si convictus fuisset , subiret l. 3. l. 6. Cod. q. accus. non poss. nec , ut de jure veteri l. 30. in fin. C. b. t. ita

I N A U G U R A L I S . 9

ita & novissimo Nov. 117. Cap. 9. maritus excipitur.

X V I.

Hicce præmissis nunc Coronidis loco videndum venit quænam pœna constituta sit in adulteros. Pœna adulterii est capitalis, & præterea rei familiaris jacturam sustinent, & jus occidendi patri, maritoque datur.

X V I I.

Pœna capitum non est ex lege Julia, ex qua tantum fuit relegatio aut deportatio l. 5 ff. de quæst. sed ex constitutione imperatoris Constantini, qui sacrilegos nuptiarum, gladio puniri præcepit l. 30. Cod. h. t. Justinianus adulteræ gladii pœnam remisit, verberatamque in monasterium detrudi voluit: detrusam si maritus recipere velit, ut intra bientium id ei sine fraude liceat, sin minus. ut tondeatur mulier, monasterioque in perpetuum mancipetur Nov. 134. Cap. 10.

X V I I I.

Moribus nostrarum gentium adulterium plerumque ære & infamia, saepius admissum non nisi exilio, aut aliter extra ordinem punitur; quæ pœnæ quam prorsus juri divino contrariantur satis ex uno textu apparet. Deut. 22. vers. 22. Si quis concubuerit cum alterius uxore morte punitur, tam adulter, quam adultera, ut tollas malum e medio.

X I X.

Jactura rei familiaris, quam adulteri sustinent, hæc est: si uxor adulterium commiserit, retinet maritus dotem, donationem propter nuptias, & ex paraphenis tantam portionem, quanta est tertia dotis Nov. 117. Cap. 8. reliqua bona monasterio addicuntur, nisi sint

B

vel

supmūt

10 DISPUTATIO JURIDICA

vel descendentes , quibus bes , vel ascendentis , quibus triens defertur Nov. 134. Cap. 10. marito adulterium committente , uxor dorem recuperat , donationem propter nuptias , & ex reliquis bonis tantum , quantum tertia donationis propter nuptias pars efficit , lucratur ; quod superest cedit fisco , nisi sint descendentes , vel ascendentis ad tertium usque gradum , qui fisco præferuntur . d. Nov. 117. Cap. 9. d. Nov. 134. Cap. 10.

X X.

Datur ultimo etiam (uti supra dictum) patri , maritoque , non matri aut avo , nec reliquis cognatis , jus occidendi l. 20. ff. b. t. patri , non filio familias patri , sed qui filiam in potestate habet , adulterum domi suæ , vel domi generi sui in adulterio (non ejus præludiis , veluti convivio , suaviis impudica attricatione l. 23. in pr. ff. b. t.) deprehensum , cujuscunque conditionis sit occidere licet ; dum tamen una & occidat filiam : non enim , occiso adultero , potest adulteræ parcere . d. t. 20 ff. b. t.

X X I.

Marito non solum per se , sed etiam per filios jussus præcedente l. 4. Cod. b. t. adulterum impune occidere licet domi suæ , non domi socii , in adulterio deprehensum : nec quemlibet ut patri ; sed vilem , veluti lenonem , mimum , vel arenarium , judicio publico damnatum , nec in integrum restitutum , libertum suum , uxorisve , patris matris , filii , filiz ; uxorem ei occidere non leet , sed si adulterum occiderit , uxorem sine mora dimittere jubetur l. 24. ff. b. t. ratio diversitatis est , quoniam pietas paterni nominis consilium plerumque

I N A U G U R A L I S . II

rumque pro liberis capit; mariti autem calor, & impetus facile decernentis refrænandus fuit. *l. 22. §. fin. ff. h. t.*

X X I I.

Quod si superiora non fuerint observata, id est, si vel pater adulterum occiderit, adulteræ pepercerit, vel maritus adulteram occiderit, aut adulterum, quem non licet; rei quidem fieri possunt legis Corneliae de sicariis, non tamen pœna gladii verum mitius extraordinem puniendi sunt; ob dolorem, quem difficillimum est temperare; & ita nox justus dolor, motusque repentinus, factum relevant *l. 138. §. 8. ff. h. t. l. 4. Cod. eod. l. 1. §. ult. ff. ad leg. Corn. de sicar.*

X X I I I.

Jure Pontificio, quod & mores belgii, & germaniae sequuntur, non ita grave dicitur adulterium pati, ac uxorem occidere *Can. si quod verius 33. 2.* siveque in foro conscientiae non licet marito adulterum, aut adulteram occidere *Can. int. hæc & can. si quod verius 33. qu. 2.* quia soli judicii & principi, qui gladii potestatem habet, occidere licet *arg. l. 76. ff. de R. 7.* & quia id circa judicia sunt inventa, ne quisquam sibi ipsi ultionem permittere valeat. *l. 14. Cod. de Judæis & Cælicol.*

2 1 1 3
C O.

Ex officina typografica H. M. Academiae
Typographicae, die 10. Decembri.

COROLLARIA.

I.

*C*Oncubinatus jure civili non absolute fuit permisus.

II.

Multo minus meretriciae conjunctiones.

III.

Consensus non concubitus nuptias faciunt.

IV.

Deductio sponsæ in domum sponsi non est de essentia matrimonii.

V.

Si quis viciatam duxerit pro virgine nuptiæ confidunt.

VI.

Nuptiæ sine parentum consensu initæ sunt ipso jure nullæ.

F I N I S.